

# **Thesium physico-medicarum triga / [Johannes Christophorus Gerlach].**

## **Contributors**

Gerlach, Johannes Christophorus.  
Camerarius, Elias Rudolph, 1641-1695.  
Universität Tübingen.

## **Publication/Creation**

Tübingen : Kerner, 1692.

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/pqatxx75>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

D. 6. 8 1.

THESIUM  
PHYSICO-MEDICARUM  
TRINGA,

56



Quam,  
*Favente DEO,*  
Consentiente Gratiôsâ Facultate Medicâ,  
PRÆSIDE,

RECTORE

Universitatis Magnifico,

DN. ELIA RUDOLPHO  
CAMERARIO, Med. Doct.

hujusque Profefs. Publ. Celebratissimo, Sereni ss. Do-  
mûs Wirtemberg. Consil. & Archiatr. Gravissimo.  
Facult. Med. Seniore.

*DN. Patrono, Præceptore atque Cognato suo  
atatem colendo.*

d. Mart,  
Anno M. DC. XCII.  
H. Lq; C.

*Ad disputandum proponit*

JOHANNES CHRISTOPHORUS GERLACH.

*Tubinga,*

---

LITERIS KERNERIANIS,

MAGNIFICO  
ACADEMIÆ RECTORI,

VIRO,  
*Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo,  
Experientissimo,*

DN. ELIÆ RUDOLPHO  
CAMERARIO, Phil. & Med. Doct.

hujusque Profefs. Publ. Famigeratissimo, Consil. &  
Archiatr. Wirtembergico Felicissimo, Facultatis  
Med. Seniori, Disput hujus Præsidi  
Gravissimo,

Dn. Patrono, Præceptori & Matruei suo omni  
obsequii genere devenerando.

*Vi &*

VIRO

*Nobilissimo, Amplissimo, Consul-  
tissimo,*

DN. SAMUELI CHRISTE-  
LIO, Sereniss. Wirtemberg. DUCIS

ADMINISTRATORIS Consiliario Status  
Excellentissimo,

Dn. Patrono atque Amitino suo  
Colendissimo.

THESES HAS

*consecrat*

AUTHOR.



THESIS I.

*Probabilis est transitus Chyli per vasa  
Mesaraica Sanguiveha.*



Uid Veneranda de Nectaris hujus & Quintæ, uti suô nonnullis audit meritô, alimentorum Essentis viis, quibus ad sanguinem, cui commisceri debet, ipsi pateat aditus, statuerit Antiquitas, notum est omnibus: Piaculum sc. erat, etiam in hoc adhuc dum, quô vivimus, licet novorum inventorum fecundissimo seculo, animam chylo ex intestinis assignare viam, quàm regiam illam & à tot retrô seculis tritissimam, *vasa sc. mesaraica sanguiveha*. Postquam autem *Annô presentis seculi. 22. d. 23. Julij*, indefessa Ticinensis Anatomici, *Casparis Asellij*, industria, alia, quæ lactea, à lacteo chyli, quem vehunt, colore appellavit primus Inventor, (quanquam hæc ipsa ab *Erasistrato* jam olim quasi pertransennam visa fuisse dicant alii) *vasa felici detexisset cultro*, plerique postea, seposita, quæ Maioribus nostris, siquidem Amica id pateretur Veritas, aliàs debetur, Autoritate in laudatî *Asellij* sententiam, tanquam ipsorum sensuum testimonio comprobata, iverunt, & quam ipse Inventor eodem adhuc, variisque ex nimio Antiquitatis studio habitis præjudiciis refertam reliquerat, excoluere magis, multisque rationibus æquè ac Experimentis stabilivère. Fuerunt tamen adhuc Alii, qui mediâ tanquam tutissimâ, incedentes viâ, utrique dissentientium parti adstipulantes, multum quidem chyli per vasa illa *Aselliana* vehi concesserunt, non tamen omnem chylo per vasa mesaraica transitum denegarunt, suamque sententiam pluribus etiam rationibus & Experimentis firmare conati sunt, quæ quidem hodiè in omnium Anatomicorum & Physiologorum monumentis obvia, uti hic proluxâ relatione opus non habent, ita variis adhuc Adversariorum exceptionibus obnoxia deprehenduntur: Ad *Mechanicum* enim *Borelli* argumentum ab amplitudine venarum Mesaraicarum,

capacitatem arteriarum longè superante , adeoque alium adhuc, præter sanguinem , liquorem, quò repleatur, requirente, petitem respondēt , alibi quoque e. g. circa ventriculum , vesicam, &c. arcuatam ejusmodi venarum copiam , arterias longè superantem deprehendi, ubi tamen nulla sit suspicio , alium adhuc præter sanguinem , venas excipere liquorem ; quid ? quòd omnes in universum totius corporis venæ arteriis sint ampliores. *Rationem à volatilibus*, quæ vasis lacteis careant desumptam, insufficientem prædicant, cum 1. *Bartholinus* in omnibus animalibus hæc vasa adesse, afferat. 2. Posito, quòd in avibus non adsint, argumentum tamen esse particulare, quòd ad alia Animalium genera extendi non debeat, præcipuis cum aliam Volatilia obtinuisse vasorum mesaraicorum structuram, pateat ex experimento *Cl. Brunneri*, & postea etiam *Celeb. Bohnij*, (ex insufflatione quoque venarum mesaraicarum cum intestinis communicationem probare *D. DuVernay, Anatom. Reg. Parisiens.* refert Autor *Philos. Burgund.* an autem pariter in avibus saltem, an verò in aliis etiam animalibus, ex verbis illius Autoris plenè colligere non potui) quòd flatus per vasa mesaraica e. g. anseris penetrat, quòd tamen in alio animalium genere non succedit. *Ad Experimenta Hornij, Schwammerdamij, Bilsi*, quibus color liquoris vasorum mesaraicorum aliquo modo albicet, regerunt, partim observatis licet sollicitè omnibus circumstantiis experimenta non succedere, quale sit illud *Bilsi*, qui ligatâ arteriâ mesaraica canis vivi post aliquod tempus venas liquore quodam albicante refertas deprehendistatuit ; partim malâ laborare consequentiâ, cum nil aliud probent, quàm sanguinem aliquando deprehendi Lacteum, quòd tamen nemo negat, cum & in aliis venis phænomenon hoc sæpè observetur, imò & odor assumptorum e. g. *allij* post triduum demum à *Cl. Bohnio* in sanguine è venâ secta deprehensus fuerit. Alii transitum chyli per venas mesaraicas probabilem reddere conantur Observationibus analogis, quibus constat, ex abdomine & thorace per venas aliquando pus, serum &c. resorberi, etiamsi venarum oscula in cavitates illas apertò non hient ore, sed intra substantiam membranarum terminentur, quidni E. posset & chyli subtilior pars à venis mesaraicis absorberi ? *Quibus* forsitan non incongruè addi posset phænomenon, quòd ipse præteritò Anno in se-

in sectione cadaveris, sub ductu & pollice *Excellentiss. Dn. D. Zelleri, Patroni & Præceptoris mei colendissimi*, administratâ, cum pluribus aliis observavi, effluebat nempe ex ipsâ truncâ Venæ Cavæ, antequam dividitur, vulnerato larga satis pinguedinis quantitas, quæ sine dubiâ per venas, ex horum Autorum hypothese, ab omni sanguine vacuas (erat enim cadaver sceminæ decollatæ) resorpta dicitur: quæ observatio, ut hoc obiter addam, forsân & lucem aliquam fœnerari posset obscuræ hætenus animalium quorundam totam sæpè hyemem silentio transigentium nutritioni, quæ hoc modo per propriam resorptam pinguedinem fieri non adedò difficulter concipi posset, à quâ sententiâ alienus non est *Cel. Malpighius*, licet peculiâres adhuc statuat ductus adiposos; ut & *Oligerus Jacobus*, qui in *Tract. de Ran. & Lacert.* in hunc quoque finem ranis concessos esse sacculos oleosâ vel pinguedinosâ substantiâ refertos renibusque adhærentes autumat, ut sc. pinguedo illa in nutritionem corporis facessat, dum velut narcosi oppressæ tempore brumali absque cibo in latebris degunt, donec exhaustâ pinguedine sanguis acrior redditus, vigilias excitet, ut videamus bestiolas has vernò tempore prorumpere, hyemisque frigore ad manes suos redire: modò huic suspitioni non obstaret difficultas haud adedò exigua, quomodo sc. in illo hyemis rigore & frigore pinguedo illorum animalium, adedò resolvi possit, ut vasorum vel oscula vel poros tunicarum subiatret, nostræ enim observationis tempore calida adhuc dum aëris constitutio facilem resolutæ & colliquatæ pinguedinis suppeditabat rationem; nisi quis forsân acriorem tum temporis sanguinem, ob amissas in quolibet circuitu particulas gelatinosas nutritas, pinguedinem sensim sensimque abradentem in subsidium vocaverit. *Verùm* ut in viam redeam ad superiorem à resorptis variis humoribus excrementitiis desumptam rationem respondent Alii, *partim* rarissima esse illa exempla, *partim* non adedò ineptè ambigi posse, annos ex substantiâ potius (sunt verba *Cl. Bohrij*) partium continentium & viscerum inclusorum, quàm cavitatibus venæ recrementa hæc imbibant, *partim* denique statum fuisse, p. n. à quò ad naturalem argumentari neutiquam liceat. *Refutatis hiis argumentis addunt adhuc Rationes contrarias; quod si enim*, inquit, oscula vasorum illorum in cavitatem intesti-

norum non hiant, quomodo possunt absorbere chylum? Non autem  
 hiare, patere credunt vel exinde, quia sic æquè facile imò facilius  
 sanguis ex illis in cavitationem intestinorum efflueret, ac chylus vasa  
 ingrederetur. 2. Flatus ex intestini portione utrinque ligatâ non  
 transit in vasa illa mesaraica, transit autem in vasa lactea; manifesto,  
 uti videtur, indicio, penetrare quidem chylum per vasa lactea, non  
 autem per sanguiveha. 3. Obstare videtur Experimentum *Loweri*  
 duplex, quò disrupto vel receptaculo chyli vel ductu thoracico ani-  
 mal brevi tempore contabescit; quod si E. chylus transiret per vasa  
 mesaraica, quæ adhuc sunt integra, nulla esset contabescentiæ ratio.  
 Ego, si & mihi tyroni aliquid in tanto *Doctorum Virorum*, quos omnes  
 in scriptis tanquam Præceptores meos veneror, dissensu aliquid bla-  
 terare sicque magnis componere parva licuerit, dubius cuinam sub-  
 scriberem sententiæ (licet magis semper arriserit posterior negativa)  
 incidi forte fortunâ in *Johan. Raij Præmonita sive Observationes Preli-  
 minares Tabulis Methodi Plantarum Novæ præmissas*, reperi que cir-  
 ca nutritionem plantarum *Rajum* existimare, non semina saltem ve-  
 rùm & radices maximam alimenti sui partem per poros tegumento-  
 rum attrahere, minimam autem per capillarum fibrarum extremi-  
 tates, quas nonnulli pro totidem osculis habeant. Quod autem  
 plantæ per corticem poros alimentum hauriant à modò ramulos &  
*ἄνω ἀσμάλια* depangendi, quem memorat *Petrus Lauremberg.*  
*Horticultur, cap. m. 20.* (*Rajo est cap. 21.*) clarissimè evinci putat: *Nub-  
 la*, inquit *Lauremberg.* ferè stirps est, quæ non queat propagari per  
 ramulos anniculos, modò 1. inferior extremitas abscissa oblinatur  
 emplastro seq. R. Cera ℥j. terebinth. ℥℔. Adipis ℥ij. M. f. Empl. (*Ra-  
 jushabet Cera ℥j. terebinth. ℥j. resina communis ℥j.*) 2. Non directè  
 infigas terra ramulum sic oblitum, sed incurvo arcu, ut suprema  
 pars promineat è terrâ, media tangat imam, infima, quam obli-  
 tendam dixi, sursum nonnihil vergat, ita tamen ut delitescat: ubi  
*Rajo* non alia videtur statui posse via, quâ succus alimentaris sub-  
 iatret quàm corticis pori. Quanquam autem dici possit, in hoc  
 casu dum ramulus incurvetur, poros corticis in parte arcus conve-  
 xâ majores fieri, sed præternaturaliter; non tamen displicuit  
 hæc sententia, dum ulterius considerarem succum nutritivum facile  
 pens-

penetrare per seminum integumenta, sæpè satis crassa; quid ni E. penetrare idem quoque possit per poros integumentorum & fibrarum tenuissimarum radicularum; præprimis, cum ipsa minimarum radicularum in tantam sæpè longitudinem per terram extensio, non diuturniori saltem succi nutritii, per aperta oscula recepti, in longioribus illis fibrillis motui, adeoque ejusdem forsan subtilisationi & depurationi, sed & eò majori succi nutritii quantitati recipiendæ, quò pluribus poris ille alluit (plures autem sine dubio sunt pori, quò longior est radícula) inservire videatur: quid? quòd aquam poros corticum lignorum penetrare quotidie videamus; quid ni igitur penetraret & poros radicum? *Probabilis* hoc modò visa hæc *hypothesis* occasionem de simili transitu chyli per vasa mesaraica cogitandi, spontè suâ suppeditabat: Quòd si enim, cogitabam, succus nutritius per plantæ nutriendæ poros potest transire, quid impedit, quo minus & chyli pars aliqua subtilior transeat *per poros vasorum mesaraicorum*? Memoriam autem fortè fortunatè subnatæ h. jus hypotheseos refricuit, magisque probabilem reddidit *Celebris ille Belga, Antonius van Læwenhoeck*, qui, ut referunt *Collect. Act. Lipsiens. ex Transact. Angl. 1684. Mens. Jun. no. 160. p. 587.* eandem fovet sententiam, idque ex observatione quadam per microscopium factâ; reperit sc. ingentem numerum tenuissimorum vasculorum sanguivehorum in intestinis ramos suos non undiquaque porrigentiam, quemadmodum ea, quæ in reliquis partibus corporis deprehenduntur, sed in arcum quasi flexorum, omnesq; suc ramos inorsum mittentium, extrorsum nullos, tam arctè quoq; ad invicem sitorum, ut nec spatium semidiametri unius pili inter ramos istos interjaceret vacuum, sicq; eorum 10000. intra spatium pollicis quadrati numerari posse existimet: hæc a. vasa eorumq; poros partem aliquam chyli ex intestinis assumere & ad cor devehere credit, cum eund. transitus modum etiam in vasis lacteis sibi concipiat, quorum pariter extremitates orificia & aperturas in intestina hiantes habere nec deprehenderit, nec credat, quin potius persuasus sit extremitates lacteorum in intestinis æquè benè hoc in loco tunicâ seu membranâ suâ testas esse, ac in ullâ aliâ corporis parte; de quò tamen de *vasis lacteis* assertò, ego hac vice non disputo; de *vasis enim sanguivebis* solam  
*hic*

hinc mihi sermo est, per quorum *tunicas* seu earum *poros* penetrare aliquid chyli improbable non videtur, ex adductâ modò à plantis desumptâ analogiâ, quam & laud. *Læwenhæck* adducit, qui nutrimentum haud facilius intrare dicit per extremitates radicis arboris, quàm per ullum alium locum, qui æqualis sit densitatis e. g. vidisse se radículas vitis centuplo tenuiores pilò capitis, quarum extremæ oræ occupent spatium partis millesimæ granuli arenæ; posse E. humiditatem ac alimentum arboris æquè commodè transire per quamlibet partem corticis aut ligni radicis, ac per extremitatem; cumque vasorum sanguineorum (addit ille lactea & lymphatica) tunicæ constent ex substantiâ fibrosâ seu filosâ, faciliè succum aliquem, per fibrosas illas tunicas transire posse, præprimis si quis consideret, quod si dentur vasa millecuplo tenuiora capillis, oportere necessariò tunicas eorum per quam raras esse, & tenuiora adhuc filamenta ex quibus constent, faciliè E. penetrare posse humorem talium vasorum latera, maximè si materia illa, quæ intrare debet, rarior sit illâ, quæ jamjam in iis continetur: Quæ ultima ratio videtur confirmari posse aliâ, hinc quidem à *Læwenhæckio* non adductâ, observatione, quâ *idem* deprehendit, dum varios microscopio examinaret liquores, globulos, ex quibus, cum materia cui innatant, chylus componitur, plusquam sexies minores esse globulis sanguinis, cum tamen ex ipsius *Læwenhæckij*, alibi notatò calculo, globuli sanguinis 25000. vix æquent granum arenæ, quàm minuti E. erunt globuli chyli? sicque simul occurri potest *objectioni*, à cruditate chyli, quæ ipsum minus aptum reddat ad subeunda tenuissima talia vascula, eorumve poros, petitæ; licet enim concedatur crudum adhuc esse chylum respectu sanguinis, cui assimilari debet, demonstrandum tamen cruditatem illam consistere in majori chylosarum particularum magnitudine, quæ ulteriori divisione opus habeant & subtilisatione, vel angulosâ earundem figurâ, quæ demum in sanguine per angulorum horum abrasionem rotunda fieri debeat, ut aptæ reddantur illæ moleculæ ad subeunda minutissima vasa, vel eorum poros; utraque enim hæc hypothesis adductâ observatione convellitur; non verò in majori vel minori potius pelluciditate, aut ipsorum globulorum aliâ inter se invicem cohesione vel positione (in quâ sanguinis rubedo materia-

terialiter consistere non sine ratione creditur, cum, quos certò modo  
 agglomeratos rubicundos, singulos & discontinuatos omnis tincturæ  
 expertes deprehenderit laud. *D. Bohnius*) aut velociori vel tardiori vel  
 aliter planè determinato eorum motu, vel alia quacunque partium  
 componentium texturâ & modificatione, quam hîc determinare  
 alienum æquè esset à proposito ac difficile, quemadmodum diffici-  
 limus in genere est ultimus & specificus partis, actionis aut phæno-  
 meni alicujus mechanismus, prout *D. Ortlob*, Prof. Lipsiens. Ex-  
 traord. in *Programmate præter. Mens. Jul.* pluribus id ostendit. Præter  
 adductas autem *Observationes & Rationes*, penetrare m. poros cor-  
 poris nostri Amuletorum particulas colligimus, licet sæpè satis tor-  
 pidæ videantur atque inertes; penetrat evidenter satis Mercurius;  
 penetrat secundum plurimos ramosus aër (quanquam hæc sententia  
 suis non careat difficultatibus) per cæcos pulmonalium vasorum  
 meatus; penetrant particulæ feminis virilis vel per obstructas m.  
 tubas, vel per poros uteri immediatè ad ovarium, vel per poros va-  
 sorum uteri sanguivorum, vel per omnes has vias simul; pene-  
 trant ex *Observatione Cel. Hoffmanni Jun.* per ipsa vasa mesaraica  
 olea ætherea; penetrat tota bilis substantia per cystidis felleæ mem-  
 branas flavoquæ intestina tingit colore; quidnî E. subtilior quoque  
 chyli portio penetrare posset per poros vasorum mesaraicorum,  
 viam forsitan non adedè incommodam pro medicamentis citò reficien-  
 tibus, quæ hoc modò sanguini, (forsitan m. per poros vasorum ga-  
 stricorum) citius communicantur: quid? si & transiens hæc per va-  
 sa mesaraica ad hepar licet exigua chyli pars, partem quoque bilis  
 constitueret? Dices: hæc omnia non nisi possibilem chyli transi-  
 tum probant, à potentiâ autem ad actum consequentia non valet. At,  
 quotiescunque liquor aliquis canalem alluit, per quem transire po-  
 test, probabilis certè consequentia est, non obstante illò metaphysi-  
 corum canone, actu etiam illum transire, nec proinde, nisi impe-  
 dimentum ostendatur, sufficiens adest dubitandi ratio; præterea  
 quod ipse hæc pro demonstrationibus non venditem, sed proba-  
 bilem saltem transitum illum in initio pronunciaverim, lubens ces-  
 surus, si quis contrarium firmiter demonstraverit, quod tamen  
 hætenus vix præstitum deprehendi: Argumenta enim ab Autori-  
 bus

bus adduci solita nondum videntur omni exceptione majora : *Primum* siquidem , quòd vasorum illorum oscula non hient in intestinorum cavitate , nec planè non ferit ; nec tamen , si illorum , qui per hiantia vasorum oscula recipi chylum credunt , causam defenderem , omnis deesset responsio ; ratio enim additam , quòd sc. hoc modò etiam efflueret sanguis , sufficientem non esse , patet inde , quòd in avibus , etiam ex concessa ab Adversariis hypothesis , flatus & chylus per hiantia sine dubio oscula transeant , nec tamen effluat sanguis. Nec *Secundi Argumenti* à flatu in vasa lactea non verò in mesaraica sanguiveha penetrante , deducti consequentia adeò firma est , cum 1. non adeò facilè flatus etiam in lactea penetret , in quæ tamen cum sine dubio aditus sit multo facilior , quàm in vasa sanguiveha , mirandum non est , per hæc ultima omninò non penetrare , licet aliqua chyli portio per illa transeat. 2. Tot prostant Experimenta , quæ sæpissimè liquores transire poros , ubi flatus non transit , evidenter demonstrant. 3. Opponi possit modò adductum *D. Hoffmanni* Experimentum , quò demonstrat penetrare olea ætherea , licet non penetret flatus , per ipsa hæc , de quibus agitur , vasa. Nec denique *Tertium* , omne suum robur ab Experimento *Lomeriano* mutuans *Argumentum* insolubile planè est ; quin potius 1. dubium adhuc manet , an contabescencia illa ortum duxerit à defectu chyli , an potius ab absentia lymphæ , ( consentiente etiam sæpius laud. *Bohuio* ) cujus maxima quantitas à partibus refluens hoc modò unà cum chylo ex disrupto vel ductu thoracico vel receptaculo chyli effunditur , quæ tamen ad nutritionem maximè necessaria est , sive ut ipsa nutriat , ob particulas , quibus non destituitur , gelatinosas , sive ut sanguinem ejusque particulas nutritibiles diluat , debitam ipsis largiatur & ad nutriendum aptam consistentiam , sive aliò quocunquè modo ad nutritionem concurrat. 2. Experimentum hoc , si aliquid probaret , probaret solùm sufficientem pro nutritione chyli copiam per vasa sanguiveha mesaraica non vehi , non tamen omninò , parvam saltem respectu illius , quæ per vasa lactea vehitur , per tunicas vasorum sanguivehorum transire quantitatem , negaret : quemadmodum non sequitur , per ruptam aliquam venam effluit sanguis & sequitur mors *E.* omnis sanguis vehitur per venas , nec ejus pars aliqua per

per vasa lymphatica ad Cor ducitur, licet hæc ad vitam sustentandam sufficiens non sit. Cum igitur præcipua pro solis vasis laetis pugnancia argumenta tanti roboris non sint, ut firmiter demonstrent, quod demonstrare deberent, vel ex hoc solò non planè rejici deberet transitus ille per vasa mesaraica, per tot secula à Majoribus nostris creditus; salvanda enim, nisi ingratitude notam incurrere velimus, & cum Recentiorum inventis concilianda puto venerandæ Antiquitatis placita, quousque evidentes rationes vel experimenta contrarium statuere non cogant.

## THESIS II.

### *Medicamenta Specifica, nec Veteri, nec Recentiori Philosophia repugnant.*

Quid *Medicamenta Specifica* sint, & quare ita dicantur vix ullum in Medicinâ tyronem latere vel potest vel debet: inter quæ tamen primum quasi sibi vendicant locum, vulgò sic dicta *Roborantia*, (*hanc sc. vel illam partem præ alia*) suò quidem, si Antiquitatem præfertim consulimus, meritò: Vix enim aliquod Majorum nostrorum evolvere datur scriptum, ubi *specifica* ejusmodi proluxa non commendentur serie; licet in assignandâ causâ & modo operandi non adedò faciles sint, ac in asserendâ illorum, per multoties quippe iteratam Experimentiam demonstratâ, Existentiâ; communiter hinc ad *occultas qualitates*, vel *Formam substantialem* recurrunt, à quâ *specifica* illa Medicamenti actio immediatè dependeat, secus ac reliquorum medicamentorum actiones, quas originariè quidem omnes, à *formâ substantiali* tanquam principio activo, sed non immediatè, verùm mediantibus aliis *qualitatibus* manifestioribus, *primis, secundis, &c.* deduxerunt, hincque *specifica* non hæc vel illâ saltem qualitate, sed *totâ*, ut loquuntur, *substantiâ agere*, passim tradiderunt, ita ut qui *salutare hoc asyllum occultæ proprietatis irvideant, & omnia ad manifestas reducere qualitates conentur, frustra* (judico, qui instar omnium est, Germanico nostro Galeno, Dan. Senerto) *& temerè hoc conentur.* Non jam inquiram, an hic philosophandi modus (explicare enim medicamentorum facultates Philosophi est) aliquid ad augmentum scientiæ naturalis conferat, aut animum sciendi cupidum

fatiet, *aut* an laudabilius fuisset si ignorantiam suam expressis verbis  
 confessi fuissent (quod utique opprobrio ipsis non venisset, cum &  
 pluribus, quibus nos hodie gaudemus, ad Philosophiam natura-  
 tem subsidiis destituti fuerint, & nos ipsi digito compescere labellum  
 atque illud: *quantum est, quod nescimus?* ingeminare quotidie ad-  
 huc necesse habeamus) quam quod dicentes aliquid, ne viderentur  
 dixisse nihil, posteros suos ab omni ulteriore talium occultiorum in-  
 quisitione, tanquam à re desperatâ, firmè absteruerint: *vel* an illa  
 Aristotelicorum *forma substantialis* omninò idem dicat, cum Galeni  
*totâ substantiâ*, quâ ejusmodi Medicamenta agere statuit: hæc enim  
 omnia jam dudum ab aliis præstita sunt: Sufficit pro veritate The-  
 seos, *Medicamenta Specifica* Veterum Philosophiæ omninò non re-  
 pugnant, id quod nemo quidem facilè negaverit: in genere tamen  
 ad illam *Formarum* hypotheseo dico, in Medicinâ saltem, ubi mani-  
 festa aliqua vel minimum intelligibilis phænomenorum quæritur ra-  
 tio, superstructam solis ejusmodi *Formis substantialibus* responsio-  
 nem, non amplius sufficientem judicari, siue *Formæ* illæ dentur siue  
 non; possunt enim illæ, si adsunt rationes demonstrantes, nihilo-  
 minus stare, etiamsi in reddendis phænomenorum rationibus ad il-  
 las non statim recurrant Medici, sed proximiores & evidentiores  
 magisque ad minimum conceptibiles quærant rationes; quemadmo-  
 dum ipsi *Formarum substantialium*, quoad medicamenta *Specificæ*,  
 Patroni, in explicandis cæterorum medicamentorum Facultatibus  
 non ad *Formam substantialem*, sed ad clariores sensibusq; magis ob-  
 vias rationes, *qualitates* scilicet, ut putant, *manifestæ* recurrunt. Re-  
 centiorum igitur in Arte Medicæ Scriptorum super hac de *Medicamen-  
 tis Specificis* controversia oracula consulenti, probabilius, vel ad  
 minimum conceptui nostro, utpote rebus corporeis quàm abstractis  
 vocibus magis assueto, magis etiam accommodum talium *Specifico-  
 rum* fundamentum præbere videntur peculiariora & *specificæ* quarum-  
 vis Partium *Fermenta*, à tot Celeberrimis Viris hæctenus asserta, &  
 Veterum Facultatibus, tanquam nudis nominibus rei quæ nihil pla-  
 nè dicentibus, substituta; siue, si in originem inquiras, à Sapien-  
 tissimo Creatore cuius parti sint indita, siue à præterlabente sangui-  
 ne ibi deposita, siue à cujusvis visceris peculiaribus huncque in finem  
 præ-

præsentibus glandulis extillent, sive à nervis eorumque succo tra-  
 hant ortum, sive idem dicant cum Spiritu cujusvis partis insito, sive  
 aliam quamcunque ipsis adscribas originem: ad explicationem enim  
*Specificorum* ex hac hypothese, nil aliud requiritur, quam ut dicas  
 gaudere *Specifica* illa, in specie *Roborantia*, simili, cum hujus vel illius  
 partis *Fermento*, naturâ, sive, quod idem est, particularum compo-  
 nentium texturâ: præprimis si ipsa *Fermentorum* natura specialius  
 determinetur, ut, ex *Willisij* placito e. g. *Fermentum Cerebri* dica-  
 tur salino volatile, *Renum* lixiviosum, *Lienis* limosum, fixum, ter-  
 restre, exaltatum, &c. quod si enim *Fermentum* tale plures naturæ  
 suæ similes à tali medicamento recipiat particulas, roborabitur uti-  
 que, & cum eò totum viscus cui inest, cujusque potissima actio  
 ab isto *Fermento* peragi supponitur: cumque ex hac hypothese una  
 etiam pars præ aliâ ad suscipiendum hunc vel illum morbum aptior  
 evadat vi peculiaris sui *Fermenti*; imò plerique ferè quarumvis par-  
 tium morbi à peculiaribus *fermentis* morbificis hoc modo deduci pos-  
 sènt; non illa saltem *Specifica*, quæ hujus vel illius partis affectibus  
 in specie dicata creduntur, sed & illa, quæ huic vel illi morbo, cu-  
 juscunque sit partis, etiam universali, speciali quadam ratione me-  
 deri præ aliis putantur, ex peculiari scilicet texturæ suæ con-  
 trarietate cum particulis *fermenti* peregrini morbifici, locum inve-  
 niunt. Verùm cum plura ex illis, quæ pro hujus vel illius partis *Spe-*  
*cificis*, *Roborantibus* venduntur, contrariæ planè inter se invicem  
 sint indolis e. g. *acida* & *alcalica*, &c. adeoque impossibile sit ut utra-  
 que cum supposito cujuscunque naturæ *fermento* conveniant, quin  
 ipsa *Specificorum Fermentorum* Existentia pluribus Recentiorum sit  
 valdè dubia, de quò vid. D. D. Gouderi, *Phys. Stuttgard. Extraord.*  
*Fautoris mei estimatiss. mi, Tract. de Ferment.* hoc quoque *Specifico-*  
*rum* Remediorum fundamentum, non omnibus arridet: stat nihi-  
 lomius Theseos Veritas, cum hac quoque *Fermentorum* hypothe-  
 si stare posse *Specifica*, si non omnia in libris pro talibus venditata, ali-  
 qua saltem ex illorum numero. Sunt tamen adhuc plures, qui *Spe-*  
*cifica* illa medicamenta tanquam *Experientiæ* & *rationi* repugnan-  
 tia rejiciunt, partim, quia medicamenta huic vel illi parti vulgò  
 dicata, aliis etiam partibus commoda deprehendantur, adeoque

*Specifica* non sint; partim quòd nulla sit ratio, quare medicamentum aliquod ad hanc potius quàm aliam feratur partem, cum sanguis, quò mediante medicamenta ad partes deferantur, æquè has ac illas alluat, adeoque æqualiter dispensetur, sicque dicere e. g. medicamenta *cephalica* ad caput, *splenetica* ad lienem, *hepatica* ad jecur, &c. tendere, esse medicamenti cognitionem & nescio quam electivam facultatem affingere; ut ita respectu partium solidarum nulla detur talis differentia, dumque contingat, ut e. g. in dolore hypochondrii sinistri medicamentum aliquod ex voto operetur, & lienem deoppilet, sicque huic parti magis appropriatum videatur quam aliè, errorem inesse, inquit; si enim alia quædam pars itidem obstructa esset, idem medicamentum spleneticum dictum, eundem fortiturum effectum in aliò viscere, sicq; *spleneticum* futurum simul *hepaticum*, vel *uterinum*. Memini me aliquando in Disputatione quadam, ut vocant, *Cyclicâ*, opponentis vices agentem, pro medicamenti *specificis* (quorum per accidens fiebat mentio) pugnasse; argumento quid: non aliunde quàm à texturâ & pororum hujus visceris à texturâ & poris alterius, quoad affectiones mechanicas diversitate, sicque majori vel minori cum particulis hujus quàm alterius medicamenti convenientiâ, deducto; hæsitque hypothesis hæc eò fortius, quò minus illam ab *Illustr. Philosophia non minus ac Angliæ* sidere, non sine quorumvis benè sentientium luctu nuperrimè obscurato, *Rob. Boyleo*, improbari, quin potius eandem, ex eadem planè ratione publicè assertam esse, ex *Act. Erud. Lips.* (ipsum n. *Tr. de Specificorum Remed. cum Philosoph. Corpusculari Concordiâ* videre non contigit) postea demum cognovi. Est autem illa pororum diversitas effectus & pedissequa inseparabilis structuræ in diversis visceribus diversæ; quæ enim, quæso, concipi potest, aliter planè partes componentes inter se invicem contextas esse, nec tamen alia emergere interstitia, seu poros? Quòd si igitur adsunt diversi in diversis visceribus pori, poterunt utique hujus vel illius medicamenti particule huic vel illi visceri magis accommodari quàm alii, vixque videtur possibile, ejusdem medicamenti particulas, determinatis suis affectionibus mechanicis gaudentes diversis adeò accommodare se posse poris, ita ut non ad minimum his præ aliis adaptari commodius

dius possint, si que respectu horum *specifica* dici. *Dices*: duplices  
 dari in partibus poros *alios* per quos hic vel ille particularis liquor se-  
 cernatur e. g. bilis in hepate, urina in renibus, &c. & hos utique val-  
 de à se invicem discrepare, *alios* verò pro ejusdem visceris nutritio-  
 ne, hosque in omnibus aut plerisque visceribus posse esse similes; cum  
 sanguine autem nutritio particulas quoque medicamenti *specifici* par-  
 ti, quam roborare supponatur, communicari debere, sicque & eas-  
 dem medicamenti particulas omnium aut plurimum saltem viscerum  
 poris, utpote similibus, haud ineptas, adeoque *specificas* non esse.  
 & Positò dari duplicem ejusmodi in partibus pororum speciem, pro-  
 babile tamen imò possibile vix est, illos etiam poros, qui nutritioni  
 inservire dicuntur, in diversis partibus similes esse, cum & hi va-  
 riam partis texturam sequantur, adedque in diversis quoad textu-  
 ram partibus similes esse non possint: proat enim e. g. tubulus aliquis  
 contorquetur ad constitutionem alicujus partis, ita necessarìò certos  
 acquirit poros, diversos ab illis, quos sub alio, in alio viscere, situ  
 aut contorsione acquisivisset: quemadmodum & illi pori, qui ex plu-  
 rium talium tubulorum, fibrarum, &c. contextu in hac vel illà par-  
 te oriri concipiuntur, diversi necessarìò sunt ab illis, quos diversa ta-  
 lium canaliculorum complicatio in aliò produxit viscere: *Nec sequi-  
 tur*, idem est alimentum totius corporis, sanguis sc. vel lymphæ, E-  
 m. iidem in partibus pori, qui id recipiunt: *etiamsi* enim in genere &  
 quoad sensum idem videatur nutriens liquor, potest tamen, *vel* di-  
 versissimas continere particulas, alias his, alias illis poris, ratione  
 suarum affectionum mechanicarum aptas, *vel*, licet actu tantam  
 in se particularum varietatem non contineat, pro varià tamen par-  
 tium, per quas transit, & quibus assimilari debet, texturà, quoad  
 figuram, magnitudinem, superficiem, &c. mutari, & in  
 hoc viscere sub hoc in aliò sub aliò comparere schemate,  
 quemadmodum eadem aqua non diversas saltem ejusdem  
 plantæ partes, sed & plantas inter se invicem diversissimas nu-  
 trit, inque resolutione sub oleosarum, salinarum, terrearum, &c.  
 partium sese sistit imagine. *Dices 2.* sic *Medicamenta Roborantia*  
 non sunt nisi alimenta diversarum partium. & Hoc absolum non  
 esse, vocari tamen vulgò *medicamenta*, quatenus & distincta sint  
 à re-

à reliquis alimentis, quæ in genere nutriendis partibus destinata sint, cum hæc *Roborantia* specialibus saltem partibus sint dicata; & tanta in ventriculo, & primis viis mutatione opus non habeant.

*Dices 3.* Eadem tamen Medicamenta possunt e.g. obstructionem tollere in quacunq; sit parte: E. illa ad minimum *Specificæ*, quæ unum eundemq; morbum in hac parte felicius & facilius tollere creduntur, quam in alia, exulare debent, uti supra jam dictum. *R.* Nec hæc *Specificæ* omnino rejici posse; etiamsi enim omnis obstructio tollatur per *Aperientia*, sive in hac sit parte, sive in illa, quin tamen inter ipsa *Aperientia*, tanta adhuc sit differentia, ut hoc Aperiens in deobstruenda hac vel illa parte felicius & facilius operetur, præ alio, licet sub eodem Aperientis titulo contineatur, non dubito; aperitur quidem tubus aliquis obstructus per quemcunque cuneum, modò non sit major diametro ipsius tubi; facilius tamen unòq; quasi ictu, vel difficilius res succedit, pro ratione figuræ &c. ipsius cunei; ita & *Aperientia*, quæ instar *cuneorum* agunt, prout vel magis vel minus ab obstructorum pororum vel tubulorum mechanicis affectionibus abluunt, eò felicius quoque vel difficilius actionem suam absolvere poterunt; non adeò forsitan reluctante Practicorum Experientia, per quam, si singulares ejusmodi observationes, cum omnibus circumstantiis, sedulo annotarentur, certior tandem *Specificorum* medicamentorum catalogus quin construi posset, haud adeò vanè, ut mihi quidem videtur, præsumo; non enim omnia illa, quæ hæctenus ab Authoribus pro hujus vel illius visceris *Specificis* tradita sunt, reverà talia esse, non experientia solam, sed & vel sola, quoad odorem, saporem, &c. insignis adeò differentia, satis, ut opinor, indicare valeret.

*Dices 4.* Si medicamenta ejusmodi *Specificæ* non mutata, & integris vicibus ad hanc vel illam specialem partem transire deberent, vix fieri posse, quin varias, in aliis partibus, earumque minimis tubulis, per quos transire debent, causarentur obstructiones, adeoque plus damni quam commodi afferrent. *R.* Quis fit, quod bilis sanguini permixta, iamò, si forsitan, vel hujus subtilitatem in subsidium vocaveris (quanquam & eadem subtilitas de pluribus talibus medicamentis, non obstante particularum soliditate & rigiditate, prædicari possit) vel, particulas biliosas non in sanguine actu latere, sed ex va-

riarum

riarum sanguinis, aliter in liene, aliter in omento, aliter in intestinis &c. determinatarum particularum concursu in venâ portæ dæmum formari, dixeris; quòd salinæ, tartareæ, terreæ &c. Urinæ particulæ tales obstructiones non causentur? quemadmodum autem illæ ipsæ particulæ *urinosa* toti M. S. sunt permixtæ, quamvis peculiariter & specificè ad renes sint destinatæ; ita nec particularum medicamenti specifici per totum corpus, mediante sanguinis circulo, distributio, determinatæ & *specificæ* ipsarum in hoc viscere præ aliâ collectioni & actioni aliquid derogat. *Ut aded*, quamvis demonstrari nec Ratione nec Experientia possit, actu *specificæ* ejusmodi rerum naturâ dari, sanæ tamen rationi illa non repugnent, quia potius non cum Veteri saltem, sed & Recentissimâ philosophandi Methodo, benè satis conveniant; ita quidem ut nulla adhuc videatur necessitas, ad diversum in diversis medicamentis recurrenti *ætherem*, quem si in subsidium vocare vellem, res esset facilima, dicendo in hoc vel illo medicamento e.g. lienem roborante *ætherem* esse similem & amicum *ætheri*, naturaliter & ordinariè lienem perfluenti; ut mirer non deesse quoque inter illos, quibus aliâs hæc per diversum *ætherem* phænomena explicandi ratio mirè placet, qui medicamenta tamen *specificæ* rejiciunt; quanquam in specie *Purgantiæ specificæ*, quatenus sc. vulgò in phlegmagoga, cholagoga, melanagoga, &c. dividi solent, ab aliquibus admittantur, quatenus sc. *particula cathartica* ratione determinati sui *ætheris* quasdam sanguinis particulas facilius abripiant præ aliis; quin & Recentissimi Scriptores, ipsorum etiam *Cardiacorum*, illorum præcipuè, quibus hæc facultas ob nimiam fixitatem in dubium vocatur, uti sunt *Azurum, corallia, margarita, &c.* vim confortantem ex eadem deducunt hypothesi, quatenus habeant poros certos & constantes, adeoque eandem semper recipiant transmittantque *materiam ætheream*, amicam ei, quæ mixtionem & motum sanguinis naturalem suscipiet & conservet, hincque earundem operatio, quò tardior eò sit constantior, quàm reliquorum *Cardiacorum, Aromaticorum, Volatilium, &c.* quorum effectus citius quidem sentitur, sed eò facilius quoque expiret. De quâ explicandi Methodo quemadmodum, an merâ nitatur conjecturâ & hypothesi, vel an, posito esse meram hypothesein, hoc tamen inde resultet commodum, quòd per

eam naturalia corporis nostri phænomena per sua principia & causas, ad minimum absque contradictione, modoque imaginabili explicari possint, hac vice iudicare me non est instituti, quippe cuius in principio posita Thesis firma nihilominus manet, *sive* quis substantiales formas, *sive* Fermenta, *sive* ætherem Cartesianum, *sive* corpuscularia & Democritica, *sive* alia quæcunque principia pro fundamento habeat: ita tamen, cum ipsi quoque Cartesiani præter suum *ætherem*, ubique mechanicas particularum affectiones in subsidium vocent, causæ autem præter necessitatem multiplicandæ non sint, videtur, quoad medicamenta saltem *specificæ*, diversis ipsorum *æthere* opus non esse, (sive tanquam universale agens & movens admittatur, sive non) cum per solas mechanicas partium medicamentum *specificum* componentium affectiones tanquam causam proximam explicari satis commodè possint: præprimis si quis consideret, *ætherem* illum à Cartesianis tanquam in se quoad omnes figuras indifferentem, suamque figuram pro ratione pororum corporis per quod transit variè mutantem supponi; quod si esset, non video, quare *æther* medicamenti cuiusdam peregrini, dum sanguini permiscetur, figuras suas non mutet, & ex inimico vel peregrino saltem, pactò quasi fœdere fiat amicus; cum enim pariter supponatur, *ætherem* non manere eundem numero in hoc vel illo medicamento, (& quovis corpore) sed esse in perpetuò fluxu, ita ut transenti & recedenti huic numero *ætheri* succedat alius, aliter fieri non potest, quàm ut quilibet ex aliò corpore in medicamentum transiens figuras suas mutet, aliasque & diversas planè ab illis, quibus in priori corpore gaudebat, induat; eadem igitur ratione, quâ *æther* ille in medicamentum transiens figuras suas mutavit, poterit quoque easdem mutare, dum è medicamento transit in sanguinem, sicque pleraque medicamenta essent quoad operationem similia, quod oppidò absoum. Quid? quòd, cum pauca admodum sint corpora, quæ similem plasæ habent texturam, similemque per consequens *ætherem*, quippe pro ratione texturæ variantem, solida talia, *margarita, &c.* quæ ab istis Autoribus pro *Cardiacis* habentur, vix ullâ verisimilitudinis specie dici possint habere *ætherem* similem illi, qui sanguinem, corpus non saltem fluidum, sed præterea totò ab istis solidis di-

dis diversum cœlo, naturaliter perfluere supponitur. Quicquid autem sit de his aliisque pluribus, quæ mirabili illi Proteo & versipelli Mercurio opponi possent, cum mei instituti non sit, sententias has vel illas ex professò examinare vel refutare, sed potius cuiusvis hypotheseos cum medicamentis specificis convenientiam ostendere, sufficiat mihi, cum quavis adductarum hypotheseum medicamenta *Specifica* stare & conciliari commodè posse.

### THESIS III.

*Vix ulla est circa Formationem Fœtus Hypothesis, qua suis careat difficultatibus.*

**A**bstusum valdè esse totum Generationis negotium neminem latet, ut mirum aded non sit, circa singula ejus puncta explicanda, discrepare aded Autorum opiniones; quis enim est, qui nesciat, quot quantæque receptissimæ illi de Generatione Animalium ex Ovo sententiæ motæ hæctenus fuerint difficultates? quanquam ingens illa Adversariorum multitudo hodiè ad pauciores paulò redacta sit numerum, cum vix unus & alter sit, qui rerum Anatomicarum peritus, ipsi amplius contradicat, tot sc. observationibus & experimentis ad oculum rei veritatem demonstrantibus, inter quæ, præter ea, quæ *Celeb. Bohnius in Circul. Anat. Physiol. pag. 12. & 13. ex Nobiliss. Barthol. Epistol. de Ovario muliebr. Anglor. Transact. Philos. & Abbat. de la Roque Journal. de Medic. de variis fœtibus tam humanis quàm caninis in ipsa cavitate abdominis, utero ejusque tubis vel illæsis vel obstructis, repertis refert, ultimum locum non meretur Felicissimi Lugdunensium Anatomici, Nuckij Experimentum, quod ipse in recens editâ Adenographiâ Curiosâ pag. 69. ita refert: Cani fœmina tertio post congressum die extraxi per vulnus abdominis inflictum sinistri lateris cornu (cujus ovarium jam duobus ovulis majusculis notabiliter conspicuum) inter vaginam & ovarium medio loco, ligaturâ arctiori restrictum reposui, vulnusq; intra octiduum ad cicatricem perduxi. Vigesimo primo post ligaturam injectam die, canem cultro Anatomico examinandam inspicio & quod ante haviolatus eram, etiam plenè perspexi: Sinistri cornu pars (inter ligaturam & ovarium) duplici fœtu erat obfessa; altera verò portio (ligaturam inter & vaginam) planè vacua no-*

*bis visa, quod manifestissime probat, ovula ulterius quàm ad ligaturam propelli non potuisse. &c.* Cujusmodi Experimenta & Observationes, rationes omnes, in contrarium adduci solitas, etiam si ad illas responsum ab aliis nondum fuisset, sufficienter tamen convellunt, cum unicum Experimentum, plus roboris habeat quàm centum rationes. Utinam verò eadem radiaret luce, missis jam reliquis, in Generatione occurrentibus, præcipuum ejus punctum, *Fætus* nempe *Formatio!* quòd si enim omnes, quotquot hactenus in publicum prodire, Autorum cogitationes & opiniones examinaveris, vix unicam reperiēs, quæ animo sciendi cupido satisfaciat, quin potius omnes suis difficultatibus non carent: nō quæ hoc adeò miram videri debet illi, cui divina circa hoc punctum Oracula consulere volupe est, non enim *Regium* saltem *Prophetam Davidem Psal. 139, v. 14.* gratias DEO agentem, quòd mirabiliter formatus sit, sed ipsum *sapientissimum mortalium Salomonem*, quem omnibus numeris absolutum physicum jure dixeris, *Ecclesiast. c. 11. v. 5.* æquè nos latere *Formationem ossium in utero*, ac incognita nobis sint DEI opera, confiteri non dubitantem reperiet: Miror potius, & quàm maximè miror, non deesse Viros, aliàs Eruditissimos, Cartesianæ præprimis sequentes placita, qui modum *Formationis* merè mechanicum unius partis post alteram non tantum determinare, sed & eundem facile explicabilem esse, asserere non verentur, ipsò adeò *Salomone* sapientiores sibi visi, re ipsa licet promissis nequaquam respondente; ita quidem, ut mitiorem mereri videantur censuram illi, qui vel *Virtutem plasticam*, vel *Ideas seminales*, &c. in subsidium vocant; licet enim ipsi, quid propriè hæc dicant, explicare nequeant, excusatione tamen omni nequaquam destituuntur, cum obscuras res, qualis est *Fætus Formatio*, obscura etiam deceant nomina: fateor, obscura satis! *Virtus enim plastica* vel accidens est sine subjecto, vel, si subjectum habet, determinandum illud est; eritque, vel anima rationalis, vel corpus; si anima, præter plures objectiones passim obvias, redit statim quæstio de brutorum corporibus, æquè artificiosis ac nostrum, quòdnam in illis subjectum habeat *Facultas plastica*, cum animâ rationali destituantur? Corpori autem inesse talem *virtutem*, vix quisquam ab intellectu suo, ut hoc concipiat, impetrabit: præ-

primis cum virtutes ejusmodi activæ, inter quas principatum merito obtinet *Facultas plastica*, tanquam admirandæ ad eò & artificiosissimæ fabricæ opifex, Animæ passim adscribi soleant, non corpori, quippe quod in se activum non esse supponitur. *Idea* autem *seminales*, ab aliis adductæ, si aliquid dicunt, non nisi certum aliquem spirituum in semine virili concentratorum statum & ordinem innuunt, talem sc. qualem aliàs in dirigendis actionibus nostris corporeis observant, prout ipsi sententiæ hujus Patroni explicare soleunt; quibus tamen alii non immeritò regerunt, *partim* spiritus in illum determinatum statum & ordinem à corporeis organis jam præsentibus redigi, hîc verò supponi, in vrsò planè ordine, præsentem jam illum spirituum determinatum ordinem ante elaborata organa corporea, sicque effectum ante suam causam; *partim* etiam talis concentratio in semine virili, tanquam possibilis, concederetur, redire tamen quaestionem de principio determinante, spiritusque ad eò mirabiliter concentrante, ut hunc præcise non verò quemvis alium obtineant statum & ordinem: quid? quòd positò etiam actu adesse in semine talem spirituum *Ideam* seu statum & ordinem, nondum tamen adesset corpus organicum, nisi animal dicendum esset merus spiritus animalis vel genitális; siquidem, quænam necessaria sit inter determinatum illum spirituum ordinem, & subsequentem corporis organici formationem, connexio, ego quidem non video: adsint enim illi spiritus naturali suo ordine, moveantur etiam, (quod tamen vix possibile) determinatione illâ, quâ aliàs in corpore organico moveri solent, nondum tamen contextum est minimum vasculum, levissima membranula &c. *Nec* etiam, cum nonnullis, dicere sufficit, *vel*, sub illâ seminum commixtorum effervescentia seu fermentatione, partes crassiores à centro pelli versus superficiem, quæ sibi invicem cohærentes, dum inter eà subtiliores torrentis instar illas permeent, canaliculos constituent, quas arterias vocemus; cumq; à superficie versus centrum repellantur, nec per easdem vias regredi possint, deflectere à viâ rectâ, & per alias regredi, quos tubulos venas vocemus, quæ reverà nil aliud sint, quàm viæ sanguinis reflexæ: *vel*, particulas quasdam in utroque parente à singulis partibus decerpi, inque ipsorum seminibus certò ordine colligi, hisque post-

modum unitis, varias illas particulas secundum suam, quam inter se habent conformitatem vel difformitatem, uniri, aliasque pro capite, alias pro pectore, horumque visceribus &c. (prout scilicet variè ratione affectionum mechanicarum constitutæ sint) confluere: *Quippe*, i. positò pelli partes crassiores, ex suppositâ illâ effervescentiâ, versus superficiem, illæ tamen non statim constituent arteriam, variis suis tunicis, nervis, fibris, vasis etiam sanguivehis &c. artificiosè instructam; agitur enim quicumque ex variis constans partibus, liquor, pulsus etiam ad superficiem crassioribus, vastamen ejusmodi producet nunquam; ut taceam de aliis partibus, quas etiam si meros pariter tubulos, imò totum animal non nisi merum dixeris tubum, maxima tamen maneret difficultas, ut plures alias taceam, quomodo primigenius ille liquor, qui dicto modo circulari supponitur, modo in hoc modò in illo loco ab ordinario & regulari suo cursu deflectat, & in alium, pro variis variarum partium contorsionibus & complicationibus, determinetur; sponte enim sua, vi generalium motus legum hoc nunquam præstabit; aliud autem principium, ab istis Autoribus non agnoscitur, nisi *mechanicum*, & secundum generales motus regulas agens. 2. *Altera sententia* easdem ferè cum priori de *Ideis*, patitur difficultates; ut enim silentii involvam si pario, alia quæ jam dudum hypothese illi de particulis seminis ab omnibus corporis partibus deciduis, licet ingeniosissimo quoque *Borello* non displicuerit, opposita sunt, e. g. quod hoc modo claudus necessariò generet claudum, quod tamen falsum, &c. sed concessò ab omnibus partibus atomos quasdam pro constituendo semine confluent, *nihilominus* i. non sequitur, particule quædam oculi, auris, &c. decidunt ad constituendum semen, E. illæ particule constituunt oculum, aurem, &c. *partim*, quia minima particula oculi, auris, &c. non est ipse oculus, auris, &c. *partim*, quoniam, posito, sufficientes ab oculis parentum decidere particulas pro constituendo novo oculo, quod tamen vix conceptibile, quis tamen illas, licet determinatis suis affectionibus mechanicis instructas debitò suo ordine & situ iterum connectet? Merum motum mechanicum, fortuitum, huic operi sufficientem esse, mihi vix persuadeo: adsint enim omnes exempl. gr. horologii partes, debitè elab-

boratæ, ita ut non nisi adaptatio & cohæfio partium inter fe invicem defit, nunquam tamen fiet horologium, quomodocunq; partes inter fe invicem moveantur, nisi accedat externum aliquod dirigens, partesq; inter fe invicem debitè connectens. 2. Qui fit, quod particulæ e. g. à capite deciduæ non occupent locum pedum & viciffim? gravitas enim vel levitas specifica hoc non impediret, cùm partes capitis minimùm æquè graves effe ac pedis mihi perfuadeam; ratione cæterarum affectionum coire quidem facilius has partes quàm illas, uti non negatur, ita tamen ille concursus partium e. g. pro constituendo capite, quin æquè in inferiore ac superiore fieri possit loco, nullum est dubium; *Vt taceam* 3. quod hoc modo unicus saltem facile fieret musculus continuus, unicum os, &c. quia particulæ musculosæ quarumvis partium, uti & ossæ, ratione affectionum mechanicarum sibi invicem valdè supponuntur similes: ut ita prior de principio determinante rediret quæstio: quæ omnia uberius, accuratiusq; deducta vid. apud *Celeb. D. Sturmium, in Dissert. de Plantar. animal. generat*: Hujusq; Discipulum, Præceptoris sui vestigia summâ cum laude prementem, *laudatum supra D. D. Geuderum in Dissert. Epistol. de Ortu Animalium, Tractatu ejus de Ferment. annexa*. Recentissimi igitur Autores, à nullâ adductarum hætenus sententiarum animo sciendi cupido satisfieri, nimis clarè videntes, Philosophicum non minus ac pium duxerunt, in arduo hoc puncto ad ipsam Causam Primam, *Optimum Creatorem* nostrum refugere, *partim*, quòd hoc modò varia, in cæteris hypothesibus difficilia imò impossibilia explicatu, facilia satis sint, *partim* & maximoperè ideò, quòd hæc corporis nostri machina, imò quælibet partis particula tam stupendum & quod vix cogitatione, ne dicam lingua, assequi possit, artificium ostendat, suumq; adeò Artificem, tanquam causam proximam, quicumq; ille sit, summâ & infinitâ præditum necessariò esse sapientiâ, vel cæco facile persuadeat; cùm autem in totâ rerum naturâ ne fingi quidem possit principium tali instructum prudentiâ & sapientiâ, qualem corpus nostrum plens ebucinat ore, præter Universi hujus Creatorem O. M., hunc ipsum esse, qui omnia organica corpora tam plantarum quàm animalium, quælibet sc. cujuscunq; speciei, quotquot ad finem usq; Mundi in lucem

cem proditura sint, individua, in primævâ Creatione ex nihilo condiderit, hæcque omnium partium actu jam elaborata stamina omnia, *vel* primarum cujusvis speciei fœmellarum ovariis, quod cum aliis *P. Malebranche in Tractat. Recherche de la Verité inscripto*, statuit, *vel*, quod *Alij* supponi facilius posse censent, toti huic sphæræ Elementari ubique permiscuerit & indiderit, quæ postmodùm unâ cum succo nutritio in fœminarum corporibus circulantia tandem in ovariis, loco conveniente, deponantur & radicentur, donec superveniente feminis virilis energiâ ex ovario iterum extricentur, & ad uterum delata, ibidem non nisi crescant & augeantur: piò & maximè laudando zelo exclamantes cum *Iob. cap. 10. v. 8.* Manus Tuæ plasmaverunt me, & fecerunt me totum in circuitu. *Hæc* est recentissima Doctissimorum Virorum sententia, facilima certè omnium, id enim, quod in cæteris desideratum hactenus fuit, *Principium* nempe artificiosissimè & adeò mirabiliter machinam animale *formans*, clarè hac demonstratur hypothesi, DEUS nempe, Creator noster T. O. M. Quemadmodum autem vix ulli in Physica & Medicinâ sententiæ tanta obtigit felicitas, ut in primâ quasi adhuc infantia omnibus statim satisfecerit, quin varix adhuc ab uno & altero ostensæ fuerint difficultates: ita & hanc, de *primævâ omnium animalium individuali Creatione*, sententiam, suis non planè carere difficultatibus, si brevibus demonstrare audeo, è minus id, Doctissimos, quos omnes veneror, ejus Autores & Defensores ægrè laturos spero, imò firmiter credo, quò magis liberum, quantum quidem salvâ fide Christianâ licet, philosophandi genus quotidie cuivis commendant, imò potissimas difficultates agnoscunt ipsi. Totum itaque Generationis negotium, simulque Creationis historiam attentius si quis consideret, *1. observabit* verba *2di* præ primis *Cap. Genes.* quæ de Creatione hominis loquuntur, ita esse comparata, ut vix nisi de unico Adamo individuo ex glebâ, posteaque de unica Eva ex Adamo costâ formatâ intelligi possint, dicitur enim DEUS creasse illum hominem in individuo, cui inspiravit vitam, quemque in hortum Eden posuit, talis autem solus fuit Adam, ex cujus costâ DEUS condidisse dicitur non fœminas, sed solam & unicam Evam. *2.* Fatendum equidem est, ordinariè rem ita sese habe-

habere, ut maximi & stupendi artificii maximus etiam & sapientissimus sit artifex; nulla tamen occurrit ratio, quare *primæ* illa DEI *benedictio*, tantæ efficaciz non sit, ut possit virtutem hominis, quæ aliàs huc nunquam pertigisset, eò elevare, ut stupendæ ad eò machinæ laborandæ par sit, ignorante licet artificii sui modum ipso artifice immediato: *Dices*: hoc verò curiosior animus non acquiescet, quæ modum aliquem imaginabilem, quò artifex hoc præstet, poscit: & *Quemadmodum* multum impedivisse augmentum philosophiæ naturalis, quòd plerique, nullâ cogente necessitate, in *occultarum Qualitatum, Facultatum, Natura* &c. meris nominibus acquieverint, nec in res ipsas, modosve reales & corporeos, quibus effectus naturales à suis causis producantur, inquisiverint, certum est; *ita* contra humanæ suæ sortis oblitus ferè videri posset, qui omnes effectus, ab infinitâ illâ sapientiâ productos, finitis nimiumque angustis intellectus sui cancellis comprehendere satagit, qui in modum, quò *homo* *benedictionis divinae*, alterum formet hominem, curiosè nimis inquit, quem tamen terminus humanæ Sapientiæ *Salomo* ignotum esse, coram toto fateri mundo non erubescit: Redolet equidem hæc responsio illas scholarum malè ad eò hodiè sub turpi ignorantiz asy-  
lorum nomine audientes *occultas Qualitates*; quia tamen hæc ignorantiz confessio sacris literis conformis est, Philosopho Christiano pudorem non incutit. Et hic ipse locus *Eccles. cap. 11. v. 5.* est, quæ non saltem *modum Formationis ignotum*, sed & *eandem in Utero fieri* asserit; dicit enim: *Quemadmodum* *vescis formationem osium* in utero, *ita*, &c. formari autem in utero, & in primâ Creatione jam à DEO formatum fuisse, conciliationem vix admittunt. Repugnat & *vers. 14. Psal. 139.* ubi formatio dicitur fieri *in inferioribus terre*, per quæ *uterum* intelligi, non saltem *Megander* noster *Lutherus*, sed & contextus, docent: nisi forsan quis illud quorundam refugium in subsidium vocet, *Scripturam* quandoque in rebus philosophicis, quippe quas docere ipsius scopus non sit, *loqui ad opinionem vulgi, etiam erroneam*; Verùm hæctenus evictum non est, *Scripturam* vel ullò in loco ad sensum vulgi sese accommodasse, vel accommodare potuisse; & posito, quod tamen nunquam concesserim, *Spiritum S.* aliquando locutum fuisse ad opinionem vulgi erroneam, nunquam tamen id factum fuisse, spero, concedetur, nisi urgente necessitate,

quæ autem hîc planè nulla est, idem enim sensus expressus fuisset, loquendo solùm de formationis opere in genere, non additò locò ubi fiat vel facta fuerit, quippe quod planè ad scopum nihil facit. *Opponitur* equidem non sine specie locus suprâ citatus ex *Job. c. 10. v. 8.* ubi totum formationis negotium DEO adscribitur: *Nihilominus* 1. sæpè DEO aliquid adscribitur, cujus tamen ipse immediatus Autor non est, quid igitur impedit, quò minus idem de hoc loco dicamus, locis jam adductis pro sua conciliatione id maximè suadentibus? 2. DEUS utique est, i. e. ejus benedictio, vi cujus formatio fit, quæ aliàs ab homine, absque speciali illâ benedictione fieri non posset. 3. Loqui videtur *Jobus* de Creatione primi hominis, dum dicit, ex latò me fecisti, conformiter planè *vers. 7. cap. 2. Genes.* de Creatione non Jobi, non alius, non totius generis humani, sed solius Adami loquenti. Quemadmodum autem adductis (forsan & aliis, mihi jam non occurrentibus) Scripturæ locis non adeò benè accommodari posse videtur hypothesis, de quâ agitur; ita sunt adhuc plura *Phænomena naturalia*, quæ difficulter satis cum illâ sententiâ conciliantur: Notum scil. est, tam ex quotidianâ Experimentiâ, quàm ex observationibus Physico-Medicis, sæpè hanc vel illam partem, quæ simplex ordinariè est, vel certum saltem habet numerum, duplicem vel multiplicem adesse; ita aliquando adsunt sex digiti, mammæ tres, quatuor, inque his tubuli lactiferi, (egregiè à laudatò suprâ *Nuckio* in *Adenographiâ Curios.* descripti) modò pauciores, modò plures, in exitu etiam modò hunc modò illum observantes ordinem; glandulæ exempl. grat. iliaca in homine ordinariè una, extraordinariè plures: venæ, arteriæ, nervi, vasa lymphatica, &c. aliquando plura, aliquando pauciora, numero ordinario: partes genitales in hermaphroditis duplices; quanquam non desint, qui, an ejusmodi homines dentur, dubitent; *Blancardus* tamen duo vel plura recenset Exempla in *Observ.* talium etiam quæ & liberos pepererunt, & generarant ex aliis sceminis. Idem quoque notat exemplum *Infantis Nobilis Franekerani*, cujus totum corpus circumcirca oculis erat oblitum. Aliarum quoque partium numerus extraordinarius non adeò rarus est, quemadmodum & *variationes* e. g. vasorum ratione originum & ramificationum, ut e. g. arteria aliqua ordinariè oriatur ex hac, extraordinariè ex aliâ arteriâ, ordina-

dinariè pauciores habeat ramos, extraordinariè plures, &c. Denique dantur partes, quæ ablatae, renascuntur; ita idem *Blancardus* inter alia etiam refert, de quodam, cui *scrotum* amputatum, illæsis tamen testiculis, intra 14. dies plenariè renatum est, non impedito generationis opere, ut taceam de *carne*, quam renasci ita, ut spiritus & sanguis pro motu & nutritione debite iterum influant, quotidiana vel tonsorum monstrat *Experientia*: de *Ossibus*, imò & de *digito* renatis vid. *D. Dolai Epist. 4. ad Waldschmid.* Quid? quodd, ut dicit *Celeb. Bobnius*, lacertarum caudas, & cancrorum chelas detruncatas reacrescere, puerorum quoque experientia comprobet. Quemadmodum & lumbricis latis, ad ducentorum pedum longitudinem aliquando observatis, si juncturae aliquot, quarum 507. in unò numeravit *Tyso*, vel medicamentis purgantibus, vel aliò modo, à reliquò corpore avellantur, adnascuntur novæ, quarum quælibet propriò suò gaudet osculo. *Hæc verò omnia*, vel pleraque saltem difficilimè cum Recentiorum hypothese conciliantur, omnia enim animalium corpora si *DEVS* immediatè creasset; certè huic individuo inter centies mille ejusdem speciei, sex e. g. digitos, mammas tres, quatuor; plures ordinariò vasorum omnis generis ramos, &c. dedisse, vel eandem e. g. arteriam in hoc individuo ex ipsâ aortâ, in aliis verò pluribus ex aliâ minori arteriâ deduxisse, dicere omninò non posset: quemadmodum nec *DEVS* est, qui immediatè variarum partium *carnes, ossa, &c.* quæ lacertarum caudas, cancrorum chelas, lumbricorum juncturas, &c. licet omnia artificiosissimè constructa, reacrescere facit; quin potius hæc omnia à principio quodam produci videntur, quod vel omnis planè prudentiæ expertus, vel ad minimum tantæ sapientiæ non est, quantam, vi illius regulæ, quod artificiosissimæ machinæ sapientissimus etiam necessariò sit artifex, quæque præcipuum hypotheseos fundamentum constituit, effectus aded artificiosus requireret; totidemque aded exempla fiat totidem ad regulæ illius universalitatem infringendam instantiæ. *Dices cum Vivis ingeniosissimis*: 1. Communes esse has difficultates aliis hypotheseos, nihilque aded decedere prærogativæ, quam alibi *Ipsorum* habeat hypothesis præ aliis, licet æquè ipsi ac cæteris difficilia sint explicatu hæc phænomena. 2. Potuisse gemi-

natis vel multiplicatis nonnullis partibus monstrosum nasci foetum à conjunctione duorum vel plurium ovulorum s. staminum. *Re ad 1.* difficilem utiq; esse in cæteris quoq; hypothësis horum explicationem, imò fortè impossibilem, maximè cum ipsam *formationē in utero* à mente humanâ sciri vix posse ex sacris literis jam demonstratum sit; faciliùs tn. & rectiùs in genere saltem de *principio* quodam *plastico*, quocunq; in ipsis animalibus hærente, & vi non propriæ virtutis sed primævæ benedictionis divinæ partes formante, variis tamen motibus regularem aliàs ejus actionem quomodocunq; turbantibus, obnoxio, deviationes ejusmodi & irregularitates dici posse, quàm de DEO, de quo anomaliz tales prædicari omninò nequeunt. *Ad 2dum Re.* in subsidium equidem duorum vel plurium ovulorum concursum majori paulò specie vocari posse in illo casu, ubi plures partes, e. g. caput, artus &c. duplices sunt: concurrere verò duo ovula, ita tamen ut unus saltem digitus, unica mamma &c. appareat supernumeraria, credibile non est: imò quid dicendum de *infante* illo *Blancardi*, oculis undiquaque per totum corporis ambitum instructo? an totidem ovula pro totidem oculis vel oculorum paribus advocanda? quorsum reliquæ ovuli partes? destrui omnes, ob interceptum vel deficientem succum nutritium, vel aliò quocunq; modò, vix possibile: quid? quòd ejusmodi partes supernumerariæ sæpissimè dependeant ab *imaginatione* *Mavis*, quæ an sufficiens sit pro novo aliquo ovulo foecundando & ex ovario ad uterum pro hujus vel illius partis supernumerariæ appositione, deducendo, valdè dubito. Ad *recrecentes* autem partes e. g. *lacertarum caudas* &c. quid regeri possit non video, nisi forsan dicatur, actu jam recrecentes illas partes sub prioribus detruncatis latuisse, ita ut ablatis his augeantur saltem illæ & in conspectum prodeant, quemadmodum denti evulso succedit alius, qui tamen actu jam sub priore latuerat, variæ itidem partes, in solenni illâ metamorphosi *crucæ* in *papilionem* de novo prodeunt, quæ tamen pariter, sub illis, quæ abscedunt, actu jam aderant: *Verrum* insignis circa hæc exempla est differentia: in allatis quidem, latere actu sub aliis, partes de novo prodeutes, non experientiâ saltem constat, sed & in defectu hujus, ratio facilimè consentiret: quomodo autem sub caudâ *lacertæ* lateat alia, illâ que ablata prodeat,

conceptu, mihi saltem, impossibile haëtenus fuit; vel enim cum primâ caudâ simul detruncaretur, sicque non reaccresceret, vel deberet latere in reliquo corporis trunco, quô tamen modò hoc fieri, vel quâ in parte cauda illa latere possit, demonstratum iri optare potiùs quàm sperare licet. Adduci etiam non sine insigni specie solet *obvia inter plantas & animalia analogia*; in illarum autem semine (quod nil est nisi ovum) conspicitur actu integra planta cum omnibus partibus, non nisi augmentò, ut in lucem prodeat, opus habens; concluditur hinc satis probabiliter in *ovis* quoque *animalium* actu jam existere integrum animal, accedente motore virili in conspectum tandem proditurum: quinimò non desunt, qui distinctas animalis partes omnes armatis sese actu conspexisse oculis affirmare non dubitant. *Verùm* plantas quod attinet, insignes & illæ circa hoc punctum patiuntur difficultates; ita flores e. g. naturaliter simplices, per artem redduntur pleni, i. e. multiplici petalorum numero superbientes; quin spontè crescentem e. g. ranunculum, ordinariè pentapetalum, sex, septem, usque ad undecim, instructum reperi petalis, ita tamen ut calix semper fuerit solùm pentaphyllus: ècontra in chelidonio minore, ejusdem cum ranunculo, polygymnospermarum scil. generis, calicem, qui ordinariè triphyllus est, sæpissimè observavi tetraphyllum & pentaphyllum, nullâ licet in petalorum numero, qui certus haëtenus observatus non est, notatâ differentiâ; quæ phænomena faciliùs equidem plurimum seminum in terra latentium concursui adscribi posse non diffiteor; licèt & hîc ratio non adedò facilis sit, cur insignis adedò e. g. in rosis, ranunculis &c. sæpè conspiciatur petalorum in flore multitudo, non tamen accedente vel unico foliolò in calice; etiamsi enim defectum sufficientis nutrimenti adduxeris; possent tamen sine dubio eâdem vel minori nutrimenti copiâ sustentari & expandi ex. g. decem ranunculi petala & decem pariter calicis folia, quàm quinque saltem foliola calicis, sed simul quadraginta, quinquaginta, vel plura floris petala; præprimis, cum calix in conspectum jam prodeat antequam appareat flos, adeoquæ ille flori, utpote successuro demum, potiùs nutrimentum detrudere posse, quàm hîc illi, videtur, quemadmodum arborum quoquæ flores plenos præcedaneos fructus s. semina plerumquæ non sequuntur.

tur. *Pulchrum* quoque est illud *Phænomenon*, quò unica arbor per insertionem aliorum ramulorum multiplices satisque inter se differentes fert fructus; in quo casu, ex illà, de quà agitur hypothèsi, differentia hæc semina per easdem fibrillas deberent intrare, quas tamen non nisi seminibus arboris principalis s. matris adæquata habere oscula vel poros, probabile videretur. Quicquid tamen sit de hisce aliisque phænomenis pluribus, argumentum illud à plantis deductum nondum omni majus est exceptione: Verum quidem est in semine actu conspici posse futuram plantam; posset tamen quis dubitare, an illa semina jam elaborata è terrà cum succo ad plantam translata, perque ejusdem tubulos & poros saltem percolata, sicque oculis conspicua reddita; an verò ex variis nutrimenti particulis collectis, sive sponte suà, vi legum à DEO inditarum, sive accedente adhuc alio principio actuoso, determinante, in plantà demum ita formata fuerint. *Posito* autem: DEUM omnia plantarum semina in primævâ creatione condidisse, terræque indidisse, quod equidem tantum à literâ historix Creationis non abluere fateor, nondum tamen sequitur E. & animalium semina s. ovula omnia DEUS in initio mundi creavit; in hunc enim finem *diversum* DEUS in animalibus constituit *sexum*, pro cujusque speciei multiplicatione, additâ benedictione: *Crescite & multiplicamini*; plantis verò *sexum* diversum non dedit, (qui enim plantis nonnullis adscribitur *sexus*, alium habet *sensum*) nec *specialem* illam *benedictionem* ad plantas quoque extendere voluit; manifestâ certè, ut opinor, ratione, adesse circa hoc ipsum, de quò agitur, punctum, & in quò animalia cum plantis convenire creduntur, differentiam satis insignem; vixque opus fuisse, stante illâ hypothèsi, *diversò* in animalibus *sexu*, ut unus alterum fecundaret, cum & plantæ fecundentur, licet diversò non gaudeant *sexu*. *Dices forsan*: licet distinctò plantæ destituantur *sexu*, adesse tamen analogum quid, *flores* sc. qui *maris* vices agentes actuosum quid præsentibus jam seminibus, pro fecundatione inspirent. *Verùm* dubitare de hoc licebit, *quia* 1. dantur semina, quæ arida planè & exucca post aliquot demum annorum decursum terræ commissa feliciter germinant, ubi vix credibile est, anram illam, spirituosam sine dubio, à *floribus* inspiratam tamdiu incolumem potuisse subsistere.

stere. 2. Multæ plantæ propagantur per *bulbos* & *radices*, quæ à *floribus* fecundari non possunt. 3. Ex hypothese, de quâ agitur, ob plurimorum staminum s. seminum in terrâ latentium concursum, sæpè simplices aliàs flores insigni adeò petalorum copiâ luxuriant, licèt nulla præcedere potuerit accedentium illorum staminum per *flores* fecundatio. 4. Ex Observatione *Dn. D. Camerarij, Jun. Phys. Prof. Fautoris & Cognati mei honoratissimi, Ephem. Natur. Curios. nuper insertâ*, dantur semina plantarum etiam *subventanea*, i. e. quæ plantulam seminales non habent, multò minus *fecunda* sunt, licèt copiosi præcesserint sui generis flores, quæ etiam observatio, non adeò facilè eludendum minari videtur ietum generali de plantarum quoq; staminibus immediatè à DEO olim creatis, hypothese, cùm probabile non sit, DEUM creasse talia semina, quæ principali parte, plantulâ scil. seminali destituantur; sicque ad finem, à DEO intentum, novæ sc. plantæ germinationem, inepta sint. Fortissimum forsân pro stabiliendâ illâ, de quâ sermo est, sententiâ præberent argumentum supra jam tactæ observationes, quæ ipsis oculis, armatis scil. latentia actu in ovulis animalia integra demonstrant; modò illæ factæ fuissent in ovulis nondum semine masculino fecundatis; quod tamen hæctenus præstitum non novi; imò, teste *Borello, pag. 280. de Mot. Animalium, Celeberr. Malpighius* in omnibus quidem ovibus semine galli irroratis reperit carinam, seu ut ille loquitur, *avtoma pulli*, simile gemmæ ovorum plantarum, at in ovibus subventaneis nullum vestigium avtomatis animalculi reperit in mediò carunculæ. Hæc sunt, quæ juncta, animum ab illâ hypothese, licèt, ut dictum, præcipuum Generationis punctum omnium facilimè expediente, si non omninò detinent, ad minimum dubitantem relinquunt (donec scil. difficultatibus his satisfactum fuerit) annon satius sit dignumque magis Christiano philosopho, ignorantiam suam publicè profiteri, quàm aliquid dicere, quod vel minimâ specie sacris literis (ne dicam phænomenis pluribus naturalibus) non adeò benè convenire videtur, illud *Davidis Psal. 139 v. 14. plenò ore repetendo:*

*Gratias Tibi ago, quòd mirabiliter factus sim, mirabilia sunt opera Tua,*

*& hoc anima mea probè agnoscit: Cui & hæc vice sit*

LAUS, HONOR & GLORIA.

COROL-

---

**COROLLARIA.**

1.

Si Homo ( per Translationem ) producit Animam, potest etiam producere Corpus.

2.

Anima Rationalis est vera Hominis Forma.

3.

Fœtum in Utero respirare nondum est demonstratum.

4.

Liquoris Fœtum circumfluentis Fontem manifestum constituunt copiosissimæ Amnii Glandulæ.

5.

Vomitoria in Phthisi tuta non sunt.

6.

In Syncope non semper conducunt Volatilia.

**F I N I S.**